

*Vtrum creditor, non solum intra diem pecuniâ, quando libet post denuntiationem debitori factam pignus vendere possit; an vero expectare debeat lapsum biennij?*

**Q**UOD olim id liberè, & sine expectatione biennij potuerit, manifestum est ex textibus simpliciter & absque præfinitione alicujus temporis ea de re loquentibus: ut *l. si convenit. 4. ff. de pignor. act. & l. creditor. 4. l. quandiu. 9. l. quæ specialiter. 9. & seqq. C. de distract. pig. l. 1. 2. C. deb. vend. pign. imped. non pos.* An verò Justinianus per *l. ult. C. de jure dom. impet.* jus illud antiquum non correxerit, dubitari solet. Sed magis est, ne id fecisse videatur; cum nec verba ejus, sententiam illam omninò contineant, nec ratio justa, ob quam tale jus placuisset, appareat. *vid. C. I. A. lib. 20. tit. 5. th. 2. n. 2.*

*An bona filii fam. adventitia, vulgò dicta, modo quodam referenda sint ad quasi castrensia?*

**A**FFIRMATUR: idque non tantum de iis, in quibus filius plenum jus habet, sed & de iis, in quibus solam proprietatem. Cum enim filius fam. nihil proprii habere possit. *arg. l. acquiritur. 10. §. igitur. 1. ff. de acq. rer. dom.* sed ut aliquid habere possit, comparandus sit militi: *l. Imperator*